MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-29

AUTHOR:

SCHOMANN, GEORG F.

TITLE:

G. F. SCHOEMANNI DISSERTATIO...

PLACE:

[GRYPHISVALDIAE]

DATE:

[1845]

Master Negative #

91-80313-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schömann, Georg Friedrich, 1793-1879.
...G. F. Schoemanni Dissertatio de transpositione versuum in Aeschyli Eumenidibus. [Gryphisvaldiae], typis Kunike, [1845].
14 p. 24½ cm.

At head of title: Index scholarum in Universitate litteraria Gryphisvaldensi...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91   INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISVALDENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCXLIV-V

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARUM.

INEST G. F. SCHOEMANNI DISSERTATIO DE TRANSPOSITIONE VERSUUM IN AESCHYLI EUMENIDIBUS.

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. UNIVERS. TYPOGR.

UNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISVALDENSIS

RECTOR

LUDOVICUS HUENEFELD

CUM

SENATU ACADEMICO

S. D.

C I V I B U S   A C A D E M I C I S.

In nulla Aeschyli tragoedia emendanda et interpretanda maiore animorum contentione a viris doctissimis hac nostra aetate certatum est, quam in Eumenidibus, et effectum est horum studiis haud dubie, ut non paucas praestantissimi operis partes longe hodie aut saniores quam antea legamus, aut rectius intelligamus. Restare tamen hodieque multa partim corrupta partim parum intellecta, nemo mirabitur, nisi qui vel Aeschyleum genus dicendi vel codicum, unde eius fabulae descriptae sunt, condicionem ignoret. Muellerum, virum nunquam sine laude nominandum, plus in explicanda quam in emendanda fabula praestitisse satis inter omnes constat. Provocatus a Muellero Hermannus rem ita administravit, ut criticorum principe dignum erat, unusque plus fere ad emendationem Eumenidum contulit, quam qui ante eum hoc egerant universi. Sunt tamen etiam in huius viri coniecturis nonnullae, quae mihi quidem parum probabiles videntur, et uno praesertim genere emendationum, transpositione versuum, saluberrimo illo in sanandis veterum scriptis remedio a Wassenberghio commendato, in hac Eumenidum fabula Hermannum praeter necessitatem abusum esse iudico. Et de ceteris quidem rebus, in quibus a viro summo dissentio, alias dicam: nunc de transpositionibus tantum disputabo, locosque illos, quibus Hermannus in censura Muelleri hoc remedium adhiberi voluit, — sunt autem quattuor, — aut sanos atque incorruptos esse, aut certe non illo modo sanandos, demonstrare conabor.

I.

Horum locorum primus est in oratione Orestis, Minervam, ut propitia supplicem recipiat, his verbis invocantis, v. 226 sqq.:

Ἄνασσ᾽ Ἀθάνα, Λοξίου κελεύσμασιν
ἥκω· δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον οὐδ᾽ ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ᾽ ἀμβλὺν ἤδη, προστετριμμένον τε πρὸς
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν.
Ὁμοῖα χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,
σώζων ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους,
πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σου, θεά.

Offendit Hermannum primum πρός praepositio v. 229, quae quum non possit non ad dativum trahi, proximi versus initio positum, non videbatur sic in fine versus collocari debuisse: deinde autem illud quoque, quod versus 231 nulla coniunctione cum superioribus connectitur. Et illam quidem offensionem ipse olim ita removeri voluit, ut pro τε πρὸς scriberetur πάρος: Muellerus autem cum Lachmanno, de chor. syst. p. 21, πρός hoc loco instar adverbii esse censuit, et significare praeterea, quod ubi fit, apparet subaudiendum esse dativum pronominis demonstrativi, τούτῳ vel τούτοις, ad aliquam ex ante dictis notionem repetendam. Itaque quum dixerit antea Orestes se iam ἀμβλὺν esse, adderet nunc, se, praeterea quod ἀμβλὺς sit, etiam προστετριμμένον ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν, h. e. multum iam aliis in aedibus versatum esse et commeasse cum hominibus. Id vero non potuit dicere, nisi ἀμβλύν significare statuamus eum, cuius facinus lustralibus sacris expiatum sit, ut sit idem fere quod ἁγνός, καθαρός: nam expiationi recte conversationem cum hominibus tanquam novum quiddam, quod insuper accesserit, adiungere licebat. Sed videtur mihi ἀμβλύς temporis potius et conversationis inter homines, quam piacularium sacrorum vim et effectum indicare: quod si est ita, non potuit profecto illam ipsam conversationem tanquam novum aliquid, quod accesserit, commemorare, quippe quum hac demum illud effectum sit, ut ἀμβλύς fieret. Itaque nisi liceret πρός pro praepositione accipere, cum proximo dativo, ἄλλοισιν οἴκοις, construenda, praeferenda esset vetus Hermanni emendatio, πάρος, probata illa etiam Schützio ad h. l. et Reisigio Coniectt. in Arist. I p. 71. Atque etiamsi de ἀμβλύς aliter iudicetur, durissimam tamen profecto istam rationem esse apparet, quae, quum praecesserit verbum cum πρός compositum, sequaturque dativus huic praepositioni aptus, interpositam his verbis πρός non tamen pro repetita praepositione cum dativo illo iungenda habendam, sed separatim accipiendam aliumque dativum (τούτῳ) subaudiendum statuat. Sed praepositionum ita in fine versus colloca-

tarum exempla, licet rara, non tamen nulla sunt [1]): ut videatur hanc quidem ob causam nulla apud Aeschylum correctione opus esse. Nam illud non vereor, ne quis τέ particulam, si mea de ἀμβλύς sententia vera sit, eadem qua πρός, pro praeterea acceptum, ratione oppugnari posse credat. Usurpatur enim illa non raro etiam in rebus non diversis coniungendis. Restat igitur ut de asyndeto videamus, quod est v. 231. Et fateor hoc mihi quoque parum elegans videri. Quodsi tollendum est, in promptu est lenis medicina, ut duo vocabula locum inter se permutare iubeantur, scribaturque χέρσον δ᾽ ὁμοῖα, aut si cui forte integrorum versuum transpositio magis placeat, ita: σώζων δ᾽ ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους, ὁμοῖα χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν κτλ. Horum enim utrumlibet longe mihi probabilius videtur, quam quod Hermannus commendavit, ut refingatur locus in hunc modum:

οὐ προστρόπαιον, οὐδ᾽ ἀφοίβαντον χέρα
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν·
ἀλλ᾽, ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένον μύσος,
ὁμοῖα χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν κτλ.

Μύσος v. 229 ab Aeschylo scriptum fuisse suspicatur propter scholiastae ad h. l. annotationem: ἄλλοις προστριψάμενον τὸ μύσος. Ego mihi in his verbis non lectionis oblitteratae testimonium, sed interpretamentum tantummodo agnoscere videor, idque perineptum. Quippe μύσος ablutum erat Apollinis expiatione, antequam Delphos Orestes relinqueret. Hinc igitur absque communicatione piaculi conversari cum aliis potuit, ἀβλαβεῖ ξυνουσίᾳ, ut ipse ait v. 275. Quodsi tamen μύσος aliis quasi affricuit, προσετρίψατο, quomodo haec ἀβλαβὴς ξυνουσία dici potuit? An credemus etiam post illam expiationem inhaesisse tamen aliquamdiu Oresti μύσος, ac paullatim demum abstersum esse: posteaquam cum decem quibusdam aut viginti hominibus conversatus esset hosque contaminasset μύσους sui macula, dehinc demum cum undecimo aut uno et vicesimo absque contagione et vere ἀβλαβεῖ ξυνουσίᾳ congressum? Non opinor quemquam hoc probaturum esse. Apparet igitur scholiastae interpretationem in hoc quidem qui nunc et versuum contextu ferri non posse. At, dicat aliquis, tanto magis mutari hunc contextum oportebit ad Hermanni rationem. Scilicet, si meliorem ita sententiam nanciscemur: quod mihi contra videtur. Etenim ἀμβλὺς προστετριμμένον μύσος, quantum quidem ego intelligere possum, non is recte dicetur, cuius μύσος plane iam ablutum et expiatum, sed is demum, in quo illud, quamvis deminutum et quasi obtusum, non tamen totum sublatum est, sed quaedam eius vestigia et reliquiae adhuc haerent et remanent. Atqui Orestes ipse prorsus nullum sibi μύσος haerere affirmat v. 424: οὐδ᾽ ἔχει μύσος πρὸς χειρὶ τῇ ᾽μῇ τὸ σὸν ἐφημένη (ἐφημένου?) βρέτας, et agnoscitur etiam a Minerva v. 452 καθαρὸς et ἀβλαβής. Non poterat igitur v. 229 ἀμβλὺς μύσος

---

1) Commemoravit ea Fr. Wieselerus in libro perutili Coniectaneorum in Aeschyli Eumenides (Goetting. 1838) p. 53. De loco tamen Agam. v. 1244 non debebat Klausenio assentiri.

dici, quasi deminuta quidem, neque tamen extincta facinoris macula. — Deinde illud quoque dubito, quam recte μύσος sibi προστετριμμένον Orestes dicere potuerit. Potuit fortasse προσβεβλημένον, ut v. 570 de Clytaemnestra, δυοῖν γὰρ εἶχε προσβολὰς μιασμάτων: sed προστρίβεσθαι de ea demum macula dici posse videtur, quae in aliquem ab aliis contagione quadam propagata et quasi infricta est: quale non esse eius μύσος, qui suo se ipse scelere inquinavit, satis apparet. — Has igitur ob causas illam versuum transpositionem, quam Hermannus commendavit, non modo supervacaneam, sed ne ferendam quidem esse iudico.

II.

In eadem fabulae parte, ubi advenerunt Furiae conspectumque Orestem ad Minervae simulacrum assidentem minacibus verbis compellarunt, oratio Orestis est huiuscemodi. Malis, inquit, edoctus multa piamenta cognovi, et ubi fas sit loqui, ubi tacendum. Nunc autem in hac causa ut loquerer praecepit mihi sapiens magister Apollo. Consopitus enim est sanguis et a manu mea evanuit, maternaeque caedis macula eluta. Nam quum recens esset, ad aram dei Phoebi porcorum piaculis depulsa est, multosque possum enumerare, quibuscum innoxius conversatus sum. His dictis subiungitur in libris nostris hic versus, 276,

Χρόνος καθαιρεῖ πάντα γηράσκων ὁμοῦ.

Mira profecto in hoc contextu sententia. Quid enim? Temporisne haec vis est, ut hominem impurum impioque scelere contaminatum purget pietque? Nonne ipse Orestes paullo ante sacris lustralibus ab Apolline se purgatum esse dixit? Potuitne igitur, quod his sacris effectum est, etiam sine sacris sola longinqui temporis vi effici, ut qui scelus commisisset, sat longo spatio praeterlapso purus evaderet et absque piaculo et contagione cum hominibus conversari et ad deorum templa atque altaria accedere posset? Abhorrere ab hac sententia veterum religionem non est quod demonstrem. Quamquam id quidem concedi debet, posteaquam semel aliquis piacularibus sacris expiatus hominumque commercio restitutus esset, quo longius tempus a commisso scelere praeteriisset, eo magis quasi confirmari visam vim illam piacularium, omnemque veteris impuritatis notam ac memoriam obsolevisse. Quodsi hoc indicare Orestes illo versu voluit, apparet tamen, non ita nude istam sententiam proferri debuisse, sed significandum aliquo modo illud ipsum fuisse, quod supra proposuimus, ad sacrorum piacularium vim accedere etiam hoc, quod plurimum iam temporis a commisso expiatoque scelere praeterierit. Ut nunc est, non possumus non suspicari aut excidisse aliquid ante illum versum, aut ipsum versum plane ex hoc loco exterminandum esse. Et hactenus quidem plane consentimus cum Hermanno: dissentimus autem in eo, quod is etiam transponi versum non minus commode posse statuit, et quidem inter versus 269 et 270, hocce orationis contextu:

ἐν δὲ τῷδε πράγματι
φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου.
Χρόνος καθαιρεῖ πάντα γηράσκων ὁμοῦ·
βρίζει γάρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερός,
μητροκτόνου μίασμα δ᾽ἔκπλυτον πέλει.
ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις κτλ.

Talem enim sententiarum ordinem prorsus mihi vitiosum videri fateor. Potuit quidem Orestes, si docere voluit, se non modo piacularium sacrorum, sed etiam longi temporis vi purgatum esse, ab huius commemoratione ordiri, ut diceret, quum temporis vi, tum vero maxime sacris se purgatum: miraremur tamen vel sic huiusmodi πρωθύστερον: siquidem reapse antecessit sacrorum expiatio, accessit postea demum temporis effectus, lustratusque Orestes erat simulatque Argis celeri fuga Delphos petierat, ante quam hinc rursus profectus ad Minervam Athenas contenderet. Sed tota ista orationis conformatio absona est. Non enim ita loquitur, ut qui a re minore et secundaria ad maiorem, eamque, quae etiam sola per se sufficeret, et sine qua ne illa quidem altera ullam vim haberet, ascendat, sed uno tenore temporis vim et lustrationis efficaciam tanquam paria componit. Denique illud quoque non ferendum, quod postquam tempus omnia vel absumere vel purgare dixit, (prout vel καθαιρεῖν vel cum Stanleio καθαίρειν legimus,) quasi ad comprobandam hanc generalem sententiam per causalem coniunctionem subiungit hoc: namque consopitus est sanguis et evanuit. Immo contrario potius modo dicendum erat: Sanguis tempore consopitus est: hoc enim omnia absumit. Hinc igitur manifestum puto, transpositione versus hunc locum sanari non posse, sed aut lacunam statuendam esse post v. 275, aut versum 276 eiiciendum, ut adscriptum ab aliquo lectore in margine libri, ac dein temere in ordinem receptum[2]). Et apparet, si eiiciatur versus, nihil prorsus ad integritatem orationis deesse, sed omnia recto ordine ac tenore inter se cohaerere.

III.

Advocata ab Oreste Minerva, postquam accepit, quid rei inter hunc et insectantes eum Furias agatur, negat sibi fas esse, hanc de caede controversiam disceptare, quum praesertim[3]) supplex se Orestes adierit, perfunctusque omnibus legitimis purgandi ritibus

---

2) Video sic etiam Wieselerum iudicare coniect. p. 94: rationes tamen iudicii sui non exposuit.

3) Apud Aeschylum v. 451 est ἄλλως τε καί cum verbo finito sine coniunctione causali, quae quum nonnullis necessaria esse videretur, coniecerunt κεἰ scribendum esse pro καί: eamque coniecturam Muellerus recepit. Sed nihil mutandum est. Nempe, quod praecipiunt grammatici, ἄλλως τε καὶ, ubi non sequatur neque causalis coniunctio, neque participium, in quo insit causae significatio, non esse i. q. quum

non amplius pro impuro habendus sit. Scilicet nefas erat, expiatum homicidam, qui recipi absque piaculo et contagione posset, ab eo, cuius in fidem se tradidisset, repelli et adversariis tradi, idque nefas verebatur Minerva ne committere ipsa cogeretur, si, non curans Orestis expiationem, de culpa cognosceret: quippe futurum ita erat, ut, si iniustam caedem commisisse videretur, Furiis tradendus esset. Ad hanc rationem additur deinde altera: si cognita causa pro Oreste contra Furias sententiam dixerit, has rem aegerrime laturas multumque malorum Atticae immissuras esse. Et hae duae rationes, quas obstare Minerva dicit, quominus ipsa causam diiudicet, quum altera ab Orestis iure, ut supplicis et expiati, altera a Furiarum potestate ducta sit, recte inter se opponuntur per particulas *μέν* et *δέ*, v. 451 sqq.

σὺ μὲν κατηρκτυκὼς
ἱκέτης προσῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις·
αὗται δ᾽ ἔχουσι μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον κτλ.

sed interposito his versu 453,

ὅμως δ᾽ ἄμομφον ὄντα σ᾽ αἱροῦμαι πόλει,

quid faciendum sit, non constat. Nam hoc quidem manifestum est, adversativam enuntiationem, per ὅμως particulam superioribus oppositam, prorsus ab hoc loco alienam esse: quum tu omnibus officiis rite perfunctus supplex purus atque innoxius ad domum meam veneris, tamen v. nihilominus te absque reprehensione in urbem meam recipio. Immo propter hoc ipsum, opinor. Itaque Wellauerus versum illum ex hoc loco removeri et post v. 457 collocari voluit[4]). Sed ibi quoque nexum orationis interrumperet. Diceret enim ita Minerva, se, quamvis timenda sit Furiarum ira, nihilo secius tamen Orestem recipere, id quod dicere non potuit, nisi, absoluta deliberatione, quid statutum sibi esset eloquens. Nondum autem absolutam esse deliberationem proxima verba ostendunt, v. 458. 9, quum, quidquid faciat, magna se difficultate implicari dicat, ac demum v. 460 quid in hac difficultate consilii ceperit, profiteatur:

---

praesertim, sed potius et praeterea etiam: tenendum est, solere hoc *ἄλλως τε καί* non tamen aliter usurpari, nisi ubi causa affertur praecipua, eaque additur aliis causis, vel commemoratis diserte, vel etiam silentio praetermissis. Utriusque generis exempla attulit Foertschius in comm. crit. de locis nonnullis Lysiae et Demosth. p. 31. Ita igitur hoc loco quod dicit Minerva, hoc est: Non mihi fas est de caede disceptare, et alias ob causas, (quas praetermittit,) et quod tu supplex me adiisti. Nam etiamsi illud quod non inest expresse, ipsa tamen formula *ἄλλως τε καί* de causa deam loqui ostendit, quandoquidem, ut dixi, non solet illa aliter usurpari. Quod quum hoc loco una praecipua causa, ceteris praetermissis, afferatur, recte in convertendo usurpabimus illud quum praesertim.

4) Negat Wellauerus *αἱροῦμαι* significare posse recipio: hoc enim esse *δέχομαι*: illius autem hunc sensum esse, ut Minerva se Orestem prae furiis eligere dicat. — Sed *αἱρεῖσθαι τὸν ἱκέτην* recte dicitur, quae offerentem se et memorem beneficii fore pollicentem — quemadmodum Orestes fecit v. 279. 280 — admittere quam repellere mavult.

esse enim se, quum ipsa disceptare hanc controversiam et supplicis et Furiarum respectu vereatur, homines iudices constituturam, civium suorum optimos. — Merito igitur Wellaueri sententia quum ab aliis tum ab Hermanno spreta est: ipse autem Hermannus versum illum post 460 collocandum censuit, deleta tamen coniunctione *δέ*, quae in codicibus post ὅμως legitur, in hunc modum:

ἐπεὶ δὲ πρᾶγμα δεῦρ᾽ ἐπέσκηψεν τόδε,
ὅμως ἄμομφον ὄντα σ᾽ αἱροῦμαι πόλει.

quumque sic proximi duo versus, quorum in codicibus scriptura haec est,

φόνων δικαστὰς ὁρκίων αἱρουμένους
θεσμὸν τὸν εἰς ἅπαντ᾽ ἐγὼ θήσω χρόνον,

non amplius recte cum superioribus nexos esse appareat, hos quoque correxit in hunc modum:

φόνων δικαστὰς ὁρκιῶ δ᾽, αἱρουμένους
θεσμόν, τὸν εἰς ἅπαντ᾽ ἐγὼ θήσω χρόνον.

Dicet igitur Minerva, se, quamvis ipsa iudicare de Oreste, ut supplice et expiato, non possit, et Furiarum quoque, si ipsis victoria non contigerit, ira timenda sit, in hoc malo ancipite tamen, quandoquidem res semel huc delata sit, recepturam urbe sua Orestem, sed ita, ut iudices constituat, qui de eius crimine cognoscant. Quid igitur si horum sententiis Orestes condemnatus fuerit? Tamenne supplicem tuebitur? Non opinor: sed patietur fieri, quod illi iustum iudicaverint, neque id sibi nefas esse censebit, quandoquidem ita Orestes non ipsius, cui supplicavit, sed illorum sententia damnatus erit. Itaque recipere quidem se Orestem profitetur, non tamen sic simpliciter, sed hactenus tantummodo, ut ne statim Furiis permittatur, sed expectandus sit iudicii eventus. Quodsi conceditur ita potuisse *αἱροῦμαι* dici de tali receptione, quae quam certa ac diuturna futura esset, nondum constaret, potuit profecto Minerva eodem verbo etiam supra uti, ut recipi quidem a se Orestem significaret, quo autem modo et qua condicione, in incerto relinqueret. Hanc ob causam nihil obstabit, quo minus versui illi locum suum, quem in codicibus obtinet, servemus, praeter adversativum illud ὅμως, quod ab illo loco alienum esse vidimus. Erit igitur considerandum, utrum probabilius sit, transpositum a librariis versum esse a 460 ad 453, addita simul *δέ* coniunctione, quemadmodum Hermanno visum est, an unam tantummodo voculam ὅμως perperam scriptam esse pro ea, quae ab Aeschylo posita fuerat. Mihi quidem hoc alterum longe verisimilius videri fateor, et correctionem omnium lenissimam hanc esse censeo, quam Muellerus proposuit, ut pro ὅμως scribatur ὁσίως: quamquam de totius loci structura et intellectu a Muellero dissentio. Is enim *δέ* coniunctionem post ὅμως (ὁσίως) et ipse delet, versumque pro apodosi habet eorum quae dicta sunt v. 451. 2, ubi κεὶ posuit pro *καί*: mihi certum est, continuari orationem uno tenore a verbis *ἄλλως τε καὶ σὺ μὲν* — usque ad *αἱροῦμαι πόλει*. Non fas mihi est, inquit Minerva, de caede disceptare: quum praesertim tu supplex ad me veneris purus atque innoxius,

pieque te et absque reprehensione recipiam. — Versus autem 461, quem quomodo Hermannus mutaverit, supra indicavi, ita emendandus videtur, ut dudum a Casaubono et Pearsono factum est, assentientibus Schützio, Schwenckio, Bothio ipsoque olim Hermanno, φόνων δικαστὰς ὁρκίων αἱρουμένη, quae correctio nemini, qui codicum Aeschyleorum condicionem perspectam habeat, nimis audax videri poterit. In proximo autem versu verba sic construenda sunt: θεσμὸν ἐγὼ θήσω τὸν εἰς ἅπαντα χρόνον, h. e. τὸν ἀΐδιον, utiturque Minerva articulo propterea, quod illud iudicium, quamquam auditoribus adhuc ignotum, ipsius tamen animo iam tanquam certum et definitum obversatur.

IV.

In oratione Minervae, v. 651 sqq., qua instituti a se iudicii permansuram etiam in posterum potestatem sanctamque dignitatem civibus commendat, tres versus, 674. 5. 6, Hermannus alieno loco collocatos transponendosque in exordium censet statim post v. 652. Nam, inquit, ut taceam nulla coniunctione hos versus cum superioribus connexos esse, quo tandem consilio additam dicemus hanc instituti iudicii commemorationem hoc loco, ubi perorare iam coepit Minerva? et qui potuit haec, postquam modo professa est, velle se nunc iudicium instituere, statim tamen v. 653 ita de hoc iudicio loqui, quasi iam esset institutum? Quin manifestum est, si recto ordine ac prudenter Minervam loqui velimus, versus 674. 5. 6. transponendos esse ante versum 653. Ita enim neque coniunctionem desiderabimus, quae ne potuit quidem hoc loco poni, et instituitur his tribus versibus iudicium, recteque deinceps de eo praedicantur ea omnia, quae in reliqua oratione legimus. — Negavit Muellerus ferendam esse hanc transpositionem: nam prius docendos a Minerva auditores fuisse, iudices, qui nunc a se Orestis causam diiudicare iussi sint, hos horumque similes etiam in posterum iudiciali munere functuros esse, ac tum demum recte praedicari potuisse, quae leguntur illis tribus versibus, fore eos iudices semper incorruptos patriaeque custodes: pertinere enim hanc laudem non tam ad hos, qui nunc de Orestis causa iudicent, quam ad eos qui postea futuri sint horum successores. — Sprevit haec Hermannus tanquam levia et quae non opus sit refutari: mihi non inania videntur, accuratius tamen exponenda. Nam ut fatear, potuisse Minervae orationem etiam sic ordinari, ut ab Hermanno factum est, debuisse tamen hoc fieri, versusque illos necessario transponendos esse, non adducor ut credam. Significaverat Minerva iam antea, se legem daturam esse non de hac una Orestis causa diiudicanda, sed in omne tempus futurum, v. 462 et 542: et consentaneum erat, hoc ipsum etiam nunc diserte ab ea proponi, nec fieri id aptiore loco poterat, quam si, posteaquam eloquuta est, quod ad hanc unam Orestis causam pertinet, πρώτας δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ, subiungeret statim, quale nunc de hac causa iudicium

a se constituatur, tale etiam in posterum semper permansurum esse: ἔσται δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἰγείῳ στρατῷ ἀεὶ δικαστῶν τοῦτο βουλευτήριον. His versibus illique quem ante adscripsi si interponentur, quemadmodum Hermannus voluit, tres illi versus, qui laudes huius iudicii praedicant, ut incorrupti, sancti, severi, publicae saluti prospicientis tutissimique Atticae praesidii, quas laudes apparet ad futuros iudices Areopagitas, horum, qui nunc de Oreste iudicant, successores, pertinere: commendabit hos primum populo, et tunc demum, quasi corrigens se ipsa et supplens, quod praetermiserat, hoc adiunget: erit autem etiam posthac semper hoc iudicium: quod quamquam ferri possit, meliorem tamen hunc qui nunc est ordinem sententiarum esse vix quisquam diffitebitur. Iam vero, ut apertum fieret auditoribus, quodnam esset illud iudicium, quod deinceps in civitate futurum Minerva praedixerat, necesse fuit, aliquid commemorari, quo hoc a ceteris omnibus distingueretur. Hanc ob causam locum dea indicat, in quo illud consessurum et unde nomen habiturum erat, versu 655, πάγον δ' Ἄρειον τόνδ', Ἀμαζόνων ἕδραν, et quae sequuntur usque ad versum 660. Indicato autem loco, ubi iudices munus suum administraturi sint, quum praestari hoc tam salutare civibus munus ita demum possit, si ipsi quoque cives institutum a Minerva iudicium colere et revereri nunquam desinant, nihil aptius erat, quam subiungi statim cum commemoratione salutaris illius muneris, quae est in versibus 660, 1. 2, etiam admonitionem, ut abstinerent novandi cupiditate, neve institutum divinum corrumperent. Hanc admonitionem habent septem versus proximi, a 663 ad 669, eique rursus additur pollicitatio bonorum, quae in civitatem, si deae monitis obtemperet iudiciique ab ea instituti dignitatem revereatur, redundatura sint, v. 670 ad 673; atque sic demum, propositis his omnibus, quae docendi auditores atque admonendi erant, pronuntiatur verbis gravissimis et perficitur iudicii Areopagitici institutio, v. 674. 5. 6, iamque Dea, perfuncta hoc actu, qui ad futurum potius tempus quam ad praesens negotium spectabat, quemadmodum ipsa ait v. 677 ταύτην μὲν ἐξέτειν' ἐμοῖς παραίνεσιν ἀστοῖσιν εἰς τὸ λοιπόν, illud agi iubet, quod nunc agendum est, ut in suffragium iudices eant, v. 678—680. Haec igitur quam apte omnia inter se cohaereant et quam sit unum quodque suo loco positum, neminem latere posse arbitror, ut sententiarum quidem et consequutionis causa nulla versuum transpositione opus sit. Restat igitur haec una offensio, quod nulla coniungendi particula versus 674 — 676 cum superioribus connectuntur, quae res Hermanno prorsus intolerabilis visa est. Mihi neque hoc asyndeton, nec cetera, quae in hac Minervae oratione insunt, magnopere displicuerunt: quin placuerunt etiam non mediocriter, quum viderer mihi audire Minervam non uno et continuo tenore perorantem, sed lente ac graviter verba facientem, ita ut intermitteret identidem et quasi pondus adderet dictis suis etiam eo, quod et antequam ea eloqueretur, brevi silentio interposito, attentiores faceret auditores, et postquam eloquuta esset, insinuari se ea animis pateretur antequam ad reliqua pergeret, postremo autem, omnibus quae ad commendandam futuri iudicii maiestatem pertinerent propositis, rursusque brevi silentio interposito, ipsam iudicii

institutionem et quasi inaugurationem perageret verbis gravibus et quasi brevem quandam summam eorum quae ante ad commendationem iudicii dixerat continentibus. — Ita igitur mihi et olim visum est et videtur etiam nunc: assensuros mihi alios esse non audeo sperare, vel propter Hermanni auctoritatem, a qua qui dissentiunt, propter hoc ipsum multis indocti et imperiti videri solent. Quodsi sint tamen, qui de transpositione versuum a viro summo dissentiant, asyndeton autem probare vereantur, his nihil restabit, nisi ut ab aliqua verborum emendatione remedium sperent. Neque defuerunt, qui eiusmodi medicinam adhibere conarentur, Schwenckius et Pauwius, alter *δέ* particulam, alter *τέ* post *κερδῶν* inserens, nuper autem Wieselerus, cui praepositionem *ὕπερ* v. 675 cum relativo pronomine *ὅπερ* commutari placuit, mutata simul interpunctione membrorum , ut post v. 673 pro stigme finali hypostigme poneretur. His tribus, meo quidem iudicio, *κακοῖς* addam ipse totidem alia, tacitis tamen auctorum nominibus. Unum est, ut pro *κερδῶν* scribatur *κάρτ᾽ οὖν*, et *ἄθικτον* absolute dictum accipiatur pro sancto, inviolabili: alterum, ut excidisse aliquid ante v. 674 dicamus, veluti versum huiusmodi: *κάρτ᾽ οὖν θέλουσα τήνδε σώζεσθαι πόλιν*, qui quam facile excidere potuerit propter similitudinem litterarum *καρτ᾽οὖν* et *κερδῶν* neminem latebit: tertium denique, ut mutemus cum Wieselero interpunctionem, lacunamque agnoscamus in ipsis his tribus versibus, ad hunc fere modum explendam:

κερδῶν ἄθικτον τοῦτο βουλευτήριον,
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορός, κακ[ο]υργιῶν ἐπίσκοπον,
ὃ νῦν ἐγὼ φρούρημα γῆς καθίσταμαι.

V.

Praeter hos quattuor locos, de quibus in Muellerianae editionis censura ab Hermanno dictum est, unus eodem illo transpositionis remedio multo ante ab Heathio correctus est in chori cantico tertio, eamque correctionem recentiores huius fabulae editores ad unum omnes tanquam certissimam assensu suo comprobarunt. Et habet sane, quo se magnopere commendet. Nam quum in prioribus editionibus stropharum et antistropharum descriptio manifesto perversa esset, neque antistropha secunda strophae suae responderet, itemque tertiae strophae prorsus dissimilis esset antistropha, Heathius primus tertiam stropham eiusque antistropham recte agnovit, eaque causa fuisse videtur, cur etiam de reliqua cantici descriptione omnes ei assentirentur, quamvis repugnante codicum auctoritate. Ego tamen hanc sperni non prius debuisse arbitror, quam plane constaret, cantici partes eo quem codices habent versuum ordine servato nulla probabili ratione describi posse: quod quum mihi fieri posse videatur, sententiam meam peritorum iudicio proponere non verecundabor, haud sane moleste laturus, si quis me argumentis, modo ne arbitrariis et ex opinabili aliqua doctrina ductis, sed certis ac firmis, meliora docuerit. Videtur igitur mihi nec transpositione versuum in hoc cantico opus esse, nec ceteris mutationibus, quas

viri summi commendarunt, plurimis maximeque violentis. Nam quum e sedecim versibus, quos in stropha et antistropha secunda sibi respondere voluerunt, si codicum lectiones sequamur, non amplius bini utrimque inter se pares sint, reliqui partim similes inter se partim dissimiles, pares autem nulli, correctiones ab aliis aliae, ab Hermanno autem haece propositae sunt. Primum hi versus,

παλλεύκων δὲ πέπλων   ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην,

ut pares evadant antistrophicis

Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς   ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας

utrique mutandi erunt, et superiores quidem ita, ut transponatur *δέ* particula, addatur autem adiectivum quattuor syllabarum, *ἀγέραστος*, in hunc modum,

παλλεύκων πέπλων δ᾽ ἀγέραστος, ἄμοιρος, ἄκληρος ἐτύχθην,

in antistrophicis autem, ut pro *αἱματουσταγὲς* scribatur *δειματοσταγές*. Porro huic versui, *ἀνατροπὰς ὅταν Ἄρης*, ut respondeat antistrophicus, *μάλα γὰρ οὖν ἀλλομένα*, praesentis participium cum participio aoristi, *ἁλομένα* permutari debebit. — Neque proximus versus strophae, *τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ*, respondebit antistrophico, *ἄγκαθεν βαρυπεσῆ*, nisi pro *ἄγκαθεν* scribatur *ἀνέκαθεν*. — Item hi versus, *κρατερὸν ὄνθ᾽ ὁμοίως*, eique oppositus antistrophicus, *σφαλερὰ τανυδρόμοις*, ut pares evadant, uterque mutandus erit, alter sic, *κρατερὸν ὄντα περ ὅμως*, alter autem sic, *σφαλερὰ γὰρ τανυδρόμοις*. Denique postremus strophae versus, *μαυροῦμεν ὑφ᾽ αἵματος νέου*, ut par fiat antistrophico, *κῶλα δύσφορον ἄταν*, scribendus erit mutatione omnium violentissima et sensu parum probabili, *μαυροῦμεν νέον αἷμα*.

Fatendum est sane, nonnullorum ex his versibus scripturam eam, quae in codicibus est, incorruptam videri non posse propterea quod nec structuram nec sententiam habeant probabilem [5]): metrum tamen, si soli versus per se spectentur, quantum quidem ego iudicare possum, in plerisque satis bonum est, ut mutari hac quidem de causa non debeant, nedum tam violenter, nisi certo antea constiterit, esse eos vere antistrophicos. Quodsi sententiarum connexionem respicimus, hanc videmus in ea, quam codices habent, versuum dispositione peraptam esse, immo aliquanto aptiorem quam in illa quae ab Heathio instituta est stropharum descriptione. Nam illic, postquam cecinerunt Furiae, homines quamvis superbos gloriaque elatos frangi tamen et prosterni suis assultibus, aptissime deinceps adiungitur horum assultuum descriptio: quippe vehementer insilientes imponimus desuper pedis nostri vim, ut etiam strenui cursores labantur tamen in perniciem: contra transpositis, ut Heathius fecit, versibus, non facile perspicias, qua ratione, postquam deprecatae sunt Furiae, ne quis deorum in certamen secum descendat, quandoquidem ipsas quoque Jupiter deorum coetu et commerciis arcuerit, tali sententiae statim per causalem particulam haec adiungi potuerit: nam sane vehemen-

5) De his corruptelis et quomodo emendandae videantur, dicemus alio tempore.

ter insiliens desuper impono pedis vim. — His igitur rationibus permoveor, ut, improbata Heathii descriptione, aliam describendi cantici viam ineundam esse statuam. Quodsi versus, ut in codicibus scripti sunt, inter se comparantur, his quidem tribus,

Γιγνομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη,
ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας, οὐδέ τις ἐστὶ
συνδαίτωρ μετάκοινος

plane respondent hi,

Σπευδόμεναι δ' ἀφελεῖν τινὰ τάσδε μερίμνας,
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν,
μήδ' εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν,

quorum etsi verba aliquot corrupta numeri tamen haud dubie integri sunt. Hos igitur trinos versus antistrophicos esse apparet. Qui autem statim sequuntur versus item trini, quum bini utrimque exaequari inter se nisi violenter mutati non possint, ne pro antistrophicis quidem haberi debebunt. Et tamen hi duo, 332. 3,

παλλεύκων δὲ πέπλων ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην,

sententiam habent tam arcte cum superioribus coniunctam, ut divelli ab iis et alii cantici parti attribui vix posse videantur. Ita igitur stropham habebimus quinque versuum a 329 ad 333, antistropham autem duobus versibus minorem, a 340 ad 342, ut statuendum sit, duos versus excidisse. Iam vero qui sequuntur stropham versus sex, a 334, δωμάτων γὰρ εἱλόμαν — ad 339, μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου, hi pro mesodo habendi sunt inter stropham et antistropham interposita. Similiter etiam hi tres versus, a 343, Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγές — ad 345, ἃς ἀπηξιώσατο, quibus nulli respondent, pro mesodo habendi sunt inter antistropham secundam strophamque tertiam interposita. — Denique tertia mesodus est versuum quinque, a 346, μάλα γάρ οὖν ἀλλομένα — ad 350, κῶλα δύσφορον ἄταν, reponenda inter stropham tertiam eiusque antistropham, ubi leguntur hi versus in codicibus, calidius hinc ab Heathio recentioribusque editoribus expulsi. — Ad hunc igitur modum hisce cantici partibus descriptis omni vel transpositione versuum vel alia mutatione violenta, quo metra repugnantia exaequentur, supersederi poterit: ipsa autem descriptio etiam concinnitate quadam commendari videtur. Nam quum universum canticum quattuor constet stropharum paribus, horum quae media sunt, secundum dico et tertium, aequabiliter mesodis interpellantur, quippe quum et par utrumque suam habeat mesodum strophae et antistrophae interpositam, et inter haec duo paria item mesodus sit, sicut horum, ita totius cantici media. Tres autem mesodi ut canerentur, factum videri potest propterea, quod, quum universus chorus Furiis constaret quindecim, tres tamen ex his praecipuae et reliquis insigniores fuerunt, quarum singulis singulas mesodos datas esse perquam credibile est.

Scrib. in universitate Gryphiswaldensi a. d. VII Cal. Aug. MDCCCXLIV.

I) SCHOLAE THEOLOGORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. C. A. TH. VOGT, P. P. O. DEC.

I) Publice ethices christianae principia docebit die Mercurii hor. IX—XI. — Privatim evangelium Matthaei synoptice interpretabitur quater per hebdomadem hora X. III) Seminarii theologici sodales in interpretatione novi testamenti exercebit die Martis hora VI.

Dr. I. G. L. KOSEGARTEN, P. P. O.

I) Publice 1) veteris testamenti placita, quae ad res Messianas pertinent, quater per hebd. h. XI; 2) elementa linguae arabicae bis per hebd. hora II exponet. — II) Privatim Genesin interpretabitur quater per hebd. hora II. — III) Praeterea exercitationes hebraeas seminarii theologici die Saturni hora IV moderabitur.

Dr. A. TH. F. SCHIRMER, P. P. O.

I) Publice epistolam Pauli ad Romanos interpretabitur quinquies p. hebd. hora X. — II) Privatim 1) encyclopaediam theologiae tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii hora IX; 2) theologiae dogmaticae priorem partem docebit quater per hebd. hora II.

Dr. I. C. F. FINELIUS, P. P. O.

I) Publice 1) concionandi praecepta bis per hebd. hora XI proponet; 2) progymnasmata homiletica societatis theologico-practicae medio hebdomadis die horis post meridiem solitis diriget. — II) Privatim artem catecheticam tradet bis per hebd. h. XI.

Dr. C. G. SEMISCH, P. P. O.

I) Publice archaeologiam christianam tradet diebus Mercurii et Saturni hora II pomeridiana. — II) Privatim historiae eclesiasticae partem alteram enarrabit octies per hebd. horis III et IV pomeridianis. — III) seminarii theologici exercitationes historicas moderabitur die Lunae horis V—VII pomerid.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Lic. C. W. I. BINDEMANN, P. P. E.

I) Publice introductionem in libros novi testamenti tum universalem tum specialem tradet quater per hebd. hora VIII. — II) Privatim librum Jeremiae interpretabitur quater per hebd. hora III.

Lic. A. H. BAIER, P. P. E.

I) Publice supranaturalistarum et rationalistarum theologiam critice adumbravit semel per hebd. Sat. hora X. — II) Privatim 1) epistolam ad Hebraeos interpretabitur bis per hebd. hora III; 2) historiam dogmatum religionis christianae tradet quater p. hebd. hora III. — III) seminarii theologici exercitationes dogmaticas moderabitur die Mercurii hora V.

II) SCHOLAE IURISCONSULTORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. F. A. NIEMEYER, p. p. o. dec.

I) Publice antiquitates iuris romani bis per hebd. hor. XI. — II) Privatim pandectas ad librum Heisii: Grundriss eines Systems des gemeinen Civilrechts, Aufl. 2 quinquies per hebd. hor. IX et X docebit.

Dr. A. F. BARKOW, p. p. o.

I) Publice historiam iuris romani enarrabit bis per hebd. hora VIII. — II) Privatim 1) institutiones iuris romani tradet, easque institutionum Iustineanearum §. §. quae ius hodiernum continent, interpretabitur quater per hebd. hora IX; 2) ius criminale quaternis diebus hora VIII docebit.

Dr. G. BESELER, p. p. o.

I) Publice ius cambiale die Saturni hora XI. — II) Privatim ius germanicum privatum iuncto iure feudali, mercatorio et nautico secundum librum Krautii Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht, 2. Ausg. Göttingen 1839, octies per hebd. hora X et XI tradet.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. F. G. de TIGERSTRÖM, p. p. e.

I) Publice 1) historiam iuris romani internam duce libro suo: Die innere Geschichte des römischen Rechts, Berlin 1838, quinquies per hebd. tradet hora XI; 2) iudiciorum publicorum ordinem proponet, ratione habita ordinis borussici bis per hebd. horis definiendis. — II) Privatim ordinem iudiciorum privatorum, adiunctis elementis ordinis borussici quinis per hebd. diebus hor. X enarrabit.

Dr. C. TH. PÜTTER, p. p. e.

I) Publice 1) encyclopaediam et methodologiam iuris quater per hebd. docebit hora XI; 2) historiam iuris ecclesiastici narrabit hora commoda ter quaterve. — II) Privatim ius ecclesiasticum senis per hebd. lectionibus hora IV. docebit.

III) SCHOLAE MEDICORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. F. A. G. BERNDT, p. p. o. dec.

I) Publice de morbis psychicis diebus Martis et Mercurii hora I disseret. — II) Privatim pathologiam et therapiam specialem sexies per hebd. tradet hora VIII docebit; 2) exercitationes clinico-medicas quotidie hora IX moderari perget; 3) exercitationes clinico-obstetricias in instituto clinico obstetricio diriget. — III) Privatissime artem obstetriciam ter per hebd. hora III offert.

Dr. C. A. S. SCHULTZE, p. p. o.

I) Publice examinatorium anatomico-physiologicum latino sermone habendum moderabitur horis definiendis. — II) Privatim 1) anatomiam corporis humani, duce compendio suo, sexies per hebd. hora X docebit; 2) exercitationes anatomico-practicas sexies per hebd. horis I, II et III moderabitur.

Dr. PH. SEIFERT, p. p. o.

I) Publice medicinam forensem ter per hebd. hora I docebit. — II) Privatim materiam medicam sexies per hebd. hora IX tradet.

Dr. G. BAUM, p. p. o.

I) Publice operationes chirurgicas exponet dieb. Martis, Mercurii, Iovis et Veneris h. V. — II) Privatim 1) chirurgiae partem alteram docebit quinquies per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora IV; 2) exercitationes chirurgicas et ophthalmiatricas tum clinicas tum policlinicas moderari perget hora X et dimid. — XII.

2) PROFESSORIS EXTRAORDINARII ET DOCTORIS PRIVATIM DOCENTIS.

Dr. F. LAURER, p. p. e.

I) Publice syndesmologiam die Saturni hora VIII tradet. — II) Privatim osteologiam diebus Mercurii et Iovis hora VIII docebit. — III) Privatissime repetitorium anatomicum offert.

Dr. F. E. G. BERNDT.

I) Publice historiam medicinae tradet bis per hebd. hora V. — II) Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam bis per hebd. hora VIII exponet; 2) pathologiam generalem bis per hebd. hora VIII docebit; 3) operationes obstetricias bis per hebd. hora II moderabitur.

IV) SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. C. F. HORNSCHUCH, p. p. o. dec.

I) Publice historiam naturalem universalem tradet quinquies per hebd. h. IX. — II) Privatim zoologiam universalem docebit quater per hebd. hora XI. — III) Privatissime de plantis cryptogamicis disseret diebus Mercurii et Saturni hora XI.

Dr. G. S. TILLBERG, p. p. o.

I) Publice 1) mathesin puram diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. XI; 2) physicam eamque praecipue eius partem, quae de imponderabilibus agit, experimentis necessariis illustratam, praeeunte Neumann (Handbuch der Physik, Wien 1842) diebus Mercurii et Saturni hora XI docebit. — II) Privatim astronomiam popularem cum astrognosia coniunctam, vel unam aliamve matheseos purae aut applicatae partem diebus Mercurii et Saturni hora II tradet.

Dr. G. F. SCHOEMANN, p. p. o.

I) Publice 1) Plautinam Trinummum cum seminarii philologici sodalibus tractabit binis per hebd. horis vespertinis; 2) Euripidis Medeam interpretabitur diebus Mercurii et Saturni hora XI. — II) Privatim syntaxin linguae graecae exponet senis diebus h. IX.

Dr. E. STIEDENROTH, p. p. o.

I) Publice 1) introductionem in universam philosophiam tradet; 2) historiam philosophiae recentioris enarrabit ter per hebd. hora XI. — II) Privatim ius naturale illustrabit ter per hebd. hora IV.

Dr. IOH. ERICHSON, P. P. O.

I) Publice 1) aesthetices partem priorem universalem tradet diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora III; 2) aestheticen artium, quas dicunt plasticarum diebus Mercurii et Saturni hora IV. — II) Privatim 1) logicen docebit dieb. Lunae, Mercurii et Saturni hora V; 2) philosophiam moralem diebus Martis, Iovis et Veneris hora IV.

Dr. I. A. GRUNERT, P. P. O.

I) Publice mechanicen sublimiorem diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora XI docebit. — II) Privatim 1) calculum integralem iisdem diebus hora X tradet; 2) exercitationes societatis mathematicae moderari perget die Mercurii hor. V — VII.

Dr. F. L. HUENEFELD, P. P. O. RECT.

I) Publice 1) pharmaciae elementa diebus Martis et Veneris hora XI tradet; 2) chemiam organicam diebus Mercurii et Saturni hora XI docebit; 3) exercitationes chemicas die Mercurii horis V — VII moderabitur. II) Privatim 4) chemiam theoretico-practicam quater per hebd. hora V. tractabit.

Dr. F. G. BARTHOLD, P. P. O.

I) Publice historiam universalem ab a. 1804 quinis per hebd. diebus hora III; — II) Privatim historiam regni borussici quater per hebd. tradet.

Dr. E. BAUMSTARK, P. P. O.

I) Publice politiae artium et mercaturae principia docebit die Saturni horis IV — VI, qua lectione finita conversatorium publico-oeconomicum instituet. — II) Privatim administrationem sumtuum et redituum publicorum exponet diebus Martis et Iovis horis IV — VI.

Dr. C. ST. MATTHIES, P. P. O.

I) Publice 1) hermeneutices et critices principia diebus Mercurii et Saturni hora IX proponet; 2) de triuna Dei essentia singulisque attributis die Saturni hora VIII disseret. — II) Privatim encyclopaediam scientiarum philosophicarum praemissa novissimorum philosophiae systematum historia tradet quinquies per hebd. h. VIII.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. I. FLORELLO, P. P. E.

I) Publice 1) Ciceronem de natura deorum, vel Lactantium de sapientia vera et falsa, diebus Mercurii et Saturni hora XI interpretabitur; 2) disputationes de gravissimis in philosophia religionis momentis, hora audituris commoda, — II) privatim exercitia stili bene latini diebus Lunae et Iovis hora III moderabitur. — III) Privatissime historiam literarum diebus Martis et Veneris hora X tradet.

Dr. C. A. HASERT, P. P. E.

I) Publice artem pueros instituendi docebit quater per hbd. h. IX — II) Privatim 1) historiam paedagogices in Germania inde a reformatione usque ad nostra tempora narrabit bis per hebd. hora IX; 2) de seminarii ludi magistrorum notione et instituendi ratione disseret bis per hebd. hora XI; 3) societatis paedagogicae studia moderari perget.

Dr. A. HOEFER, P. P. E.

I) Publice aut de Fausto Goethiano, aut de Shakspearii tragoedia „Romeo and Iuliet" disseret bis per hebd. — II) Privatim 1) grammaticam Theotiscam docebit et carmina „Waltheri a Vogelweide" interpretabitur, quaternis diebus; 2) initia tradet grammaticae comparativae bis terve.

Dr. F. SCHULZE, P. P. E.

I) Publice conversatorium de chemia ad artes et ad studium camerale applicata die Martis horis II—IV. — II) Privatim technologiam die Iovis horis II—IV.

Dr. O. IAHN, P. P. E.

I) Privatim quinis dieb. h. III historiam orationis Graecorum prosae enarrabit. — II) Publice 1) ter hora X Catulli atque Tibulli selecta carmina interpretabitur; 2) binis horis Xenophontis convivium seminarii philologici sodalibus explicandum proponet; 3) semel hora X de Pompeiis et Herculano oppidis effossis disseret. — III) Privatissime sed gratis selecta archaeologiae capita tractabit.

Dr. I. C. SCHAUER, P. P. E.

I) Publice anatomiam et physiologiam plantarum exponet d. Martis h. II—IV. — II) Privatim phytogeographiam sive doctrinam de distributione plantarum in orbe tradet die Iovis horis II—IV.

ARTIUM MAGISTRI.

G. TITEL artem delineandi publice tradet dieb. Merc. et Saturni hor. III —V.
A. ABEL musicam docebit symphoniasque artis exercendae caussa instituendas moderabitur.
H. PETERS cantum usui sacro aptatum theologiae studiosos docebit bis per hebd.
C. DONATH, artis equestris magister, in hippodromo academico modos equitandi tradet.

INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica, cui praesunt SCHOEMANN, Prof., et BINDEMANN, Prof., diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora XI, diebus Mercurii et Saturni horis II—IV studiosis patebit.
Seminarii theologici exercitationes moderabuntur KOSEGARTEN, VOGT, SEMISCH, BAIER, Proff.
Societatis homiletico-catecheticae studia ac labores moderabitur FINELIUS, Prof.
Theatrum anatomicum agitat SCHULTZE, Prof., Adiutore LAURER, Prof., qui Prosectoris munere fungitur.
Museum anatomicum administrat SCHULTZE, Prof.
Instituti clinici medici curam habet BERNDT, Prof., Adiutore BERNDT iun., Dr.
Instituti clinici chirurgici et ophthalmiatrici BAUM, Prof., Adiutore EICHSTEDT, Dr.
Instituti obstetricii BERNDT, Prof., Adiutore BERNDT iun., Dr.
Instrumenta, quae ad artes mathematicas et ad physicen pertinent, item formarum oeconomicarum et technologicarum collectiones custodit TILLBERG, Prof.
Instrumenta astronomica custodit GRUNERT, Prof.
Museum zoologicum curant HORNSCHUCH, Prof., CREPLIN, Dr., Adiutor, et SCHILLING, Dr., Conservator.
Hortum botanicum HORNSCHUCH, Prof., CREPLIN, Dr., Adiutor, et DOTZAUER, Hortulanus.
Museo mineralogico praepositus est HUENEFELD, Prof.
Institutum chemicum moderabitur HUENEFELD, Prof.
Societatis philologicae sodalibus scriptores utriusque linguae interpretandos proponet ceterasque exercitationes ex more moderari perget SCHOEMANN, Prof.
Societatis mathematicae exercitationes moderari perget GRUNERT, Prof.
Societatis paedagogicae studia moderabitur HASERT, Prof.

SCHOLAE
IN
ACADEMIA CAMERALI ET GEORGICA HILDENSI
HABENDAE.

1) Introductionem in studia academica tradet Dr. E. BAUMSTARK, Prof., sexies per hebd. ab initio semestris usque ad mensem Novembrem.

2) De sumtuum redituumque publicorum cura exponet IDEM quater per hebd.

3) De constitutione et de magistratuum officiorumque in regno borussico descriptione disseret IDEM bis per hebd.

4) Rerum rusticarum historiam tradet Dr. SCHOBER, societatis Balticae ad promovendas res rusticas constitutae scriba, bis per hebd.

5) De agrorum stirpiumque cura disseret GILDEMEISTER, Prof., bis per hebd.

6) De cura pecoris in genere et ovilli in specie, IDEM, quater per hebd.

7) Repetitionem lectionum de cura bubuli instituet Dr. SCHOBER, societatis Balt. ad promov. res rust. const. scriba, bis per hebd.

8) Utensilia et instrumenta rustica exponet IDEM bis per hebd.

9) Constituendae et curandae rei rusticae principia specialia docebit et in vicem oblatis occasionibus demonstrationes rusticas instituet, GILDEMEISTER, Prof. bis p. hbd.

10) Culturam hortorum inprimis olitoriorum exponet IUEHLKE, Hortulan. acad., bis per hebd.

11) Technologiam rusticam docebit adiunctis demonstrationibus ipsis in officinis technico-oeconomicis instituendis Dr. SCHULZE, Prof., ter per hebd.

12) Anatomiam, physiologiam et geographiam plantarum docebit Dr. SCHAUER, Prof., bis per hebd.

13) Stirpes saltuarias descripturus est IDEM, bis per hebd.

14) De mineralogia et geognosia exponet IDEM, bis per hebd.

15) Chemiam organicam ad res rusticas applicatam tradet Dr. SCHULZE, Prof., ter per hebd.

16) De electricitate et magnetismo disseret IDEM, bis per hebd.

17) Anatomiam et physiologiam veterinariam docebit Dr. HAUBNER, Veterinarius provinciae, quater per hebd.

18) De morbis animalium domesticorum externis disseret IDEM, bis p. hebd.

19) Artem obstetriciam veterinariam exponet IDEM, bis per hebd.

20) De constructione aedificiorum oeconomicorum et de impensarum in ea faciendarum aestimatione disseret MENZEL, Architect. acad., bis per hebd.

21) De viarum constructione et cura, et de substructionibus in aqua faciendis, quatenus ad oeconomiam rusticam pertinet, disseret IDEM, bis per hebd.

22) Stereometriam practicam, trigonometriam planam et arithmetices capita selecta tradet Dr. GRUNERT, Prof., bis per hebd.

23) Mechanicen et machinarum doctrinam exponet IDEM, bis per hebd.

24) Ius georgicum docebit Dr. BESELER, Prof., bis per hebd.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
VIII.	Introductio in N. T. quater.	Historia iuris bis. Ius criminale quat.	Encyclopaedia et methodologia bis. Pathol. generalis bis. Pathologia et therapia specialis sexies. Osteologia bis. Syndesmologia semel.	De triuna Dei essentia singulisque attributis semel. Encyclopaedia scientiar. philosophicarum.
IX.	Encyclopaedia theol. ter. Ethice semel.	Institutiones iuris romani quater. Pandectae quinqu.	Exercitt. clinico-medicae quotidie. Materia medica sexies.	Hist. nat. univ. quinqu. Syntaxis linguae graecae sexes. Hermeneutices et critices principia bis. Ars pueros instituendi quater. Historia paedagogices in Germ. inde a reformat. usque ad nostr. temp. bis.
X.	Ev. Matthaei quater. Ep. ad Romanos quinquies. Ethice semel. Theol. rational. et supranat. semel.	Pandectae quinqu. Ius privatum germanicum quater. Ordo iudiciorum privator. quinqu.	Anatomia corporis humani sexies. (Exercitatt. clinico-medicae nec non chirurgicae et ophthalmiatr. sexies.)	Calcul. integralis quater. Historia litterarum bis. Selecta carmina Catulli atque Tibulli ter. Xenophontis convivium bis. De Pompeiis et Herculano oppidis effossis semel.
XI.	Placita V. T. de Messia quater. Homiletice bis. Catechetice bis.	Encyclopaedia et methodol. quater. Antiquitates iuris romani bis. Historia iuris rom. interna quinqu. Ius privat. germanicum quater. Ius cambiale semel.	Exercitt. clinico-chirurg. et ophthalmiatricae sexies.	Zoolog. universal. quat. Plantt. cryptogam. bis. Mathesis pura quater. Physice experiment. bis. Euripidis Medea bis. Mechanice sublim. quat. Pharmaciae elem. bis. Chemia organica bis. Cicero de natura Deor. s. Lactantius de sapient. vera et fals. bis.
I.			Exercitt. anatomico-practicae sexies. Doctrina de morbis psychicis bis. Medicina forensis ter.	
II.	Genesis quater. Dogmatice quater. Archaeol. christ. bis.		Exercitt. anatomico-practicae sexies. Operatt. obstetric. bis.	Astronom. popular. cum astrognosia coniuncta bis. Historia philosoph. recentioris ter. Conversator. de chemia ad art. et ad stud. cameral. applicata sem. Technologia semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICIAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
II.				Historia orat. Graecor. prosae quinquies. Anatomia et physiologia plantarum. Phytographia s. doctr. de distributione plantarum in orbe.
III.	Hist. eccles. ter. Ieremias quater. Ep. ad Hebr. bis. Hist. dogmat. quater. Progymnasm. homilet. semel.		Ars obstetricia ter. Exercitt. anatomico-practicae sexies.	Aesthetice quater. Historia universalis ab a. 1804 quinquies. Exercitia stili bene latini.
IV.	Hist. eccl. quinquies. Exercitt. hebraeae seminarii theol. sem.	Ius ecclesiast. quotidie.	Chirurgiae pars altera quinquies.	Ius naturale ter. Philos. moralis ter. Aesthetice artium plasticarum bis. Politiae artium et mercaturae principia sem. Administr. sumtuum et redituum publicor. bis.
V.	Exercitt. historicae seminarii theol. sem. Exercitt. dogmat. seminarii theol. semel.		Doctrina de operationibus chirurg. quat. Hist. medicinae bis.	Logice ter. Exercitt. societ. mathem. semel. Exercitt. chem. et physiologico-chem. sem. Chemia theoret.-practica quater.
VI.	Exercitt. exegetic. N. T. semel.			Conversatorium polit.-oeconomicum semel.
HORIS DEFINIENDIS.		Ordo iudiciorum publicorum bis. Hist. iuris ecclesiastici quater.	Exercitt. clinico-obstetriciae. Examinatorium anatomico-physiologicum. Repetitorium anatomicum.	Plautin. Trinummus bis. Introductio in univers. philosoph. Hist. regni boruss. quat. Disputatt. de graviss. in philosophia religionis momentis. Societas paedagogica. De Fausto Goethiano aut de Shakspearii tragoedia „Romeo and Iuliet“ bis. Grammatica Theotisca et carmina „Waltheri Vogelweide“ quater. Initia grammat. comparat. bis. Selecta archaeol. capita.